

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Baptista.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

erit, ita etiam dicetur Dei filius. Elifabetha quoque (quo magis credas,) tua cognata, jam senescit concepit filium; & nunc sextum jam mensem fert uterum, & tamen inter steriles habebatur. Usque adeo nulla res est, quam Deus non possit. *M.* Ecce me Domini servam: eveniat mihi, prout tu dixisti.

## SENTENTIA.

*Deo nihil est arduum. Promittenti Deo credendum est, etiamsi quid naturæ contrarium promittat. Neque enim naturæ obnoxius auctor ipsa naturæ.*

## BAPTISTA.

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

## ARGUMENTVM.

Joannes Baptista populum docet vitæ correctionem, & de Christo vaticinatur.

*Joannes Baptista, Plebs, Publicani, Milites.*

**P**rogenies viperinā, qui vos submonuit futuram pœnam fugere? Edite ergo vitæ melioris indices fructus, & a) ne ideo magnos vobis spiritus & arrogantiam sumite, quod patrem habetis Abrahamum. Dico enim vobis, Deum posse ex his faxis suscitare liberos Abrahamo. Jam vero securis arborum radici admota est: omnisque arbor fructum bonum non edens, excindenda est, & in ignem injicienda. *Pl.* Quid ergo faciemus?

a) De nobilitate superbire, inane est.

*Jo.* Qui habet duas vestes, impertiat non habenti: & qui habet cibaria, idem faciat. *Pu.* Nobis autem, magister, quid faciendum est? *Jo.* Nihil amplius, quam quantum vobis decretum est, exigite. *Mi.* Quid etiam nobis? *Jo.* Ne quem pulsate, aut per sycophantiam circumvenite, & stipendiis vestris este contenti. Sed audite universi, Ego quidem abluo vos aqua, ad vitæ emendationem: sed me præstantior me subsequitur: & ita præstantior, ut ego non sum dignus, qui ejus calceorum solvam corrigiam. Is vos abluet sacro spiritu, & igne: qui quidem <sup>b)</sup> vannum manu tenet, aream suam perpurgaturus, & paleam igni crematurus inextincto.

## SENTENTIA.

*Bona arbor bonos fructus edit. Abstinentium ab injustitia, si pœnas vitare velis.*

NATHANAEL. Joan. I.

## ARGUMENTVM.

Nathanael a Philippo monitus, venit ad Jesum, & in eum credit.

*Philippus, Nathanael, Jesus.*

**D**e quo scripsit Moses in nostra disciplina, & Vates, eum reperimus: Jesum dico filium Josephi, a Nazareth. *N.* A Nazareth potest aliquid bonum existere? *P.* Provisè mecum. *J. Vi-*

*Jo.* <sup>b)</sup> Sicut vanno frumentum a palea separari solet: sic ille pios ab impiis, separabit.